

Arbeitsanweisung:

Der folgende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen und durch Bearbeitung der unter II. gestellten Fragen sprachlich zu erläutern.

I. Text

128 *Iamque adeo egressi steterant in litore primo,*  
 129 *et promota ratis pendentibus arbore nautis*  
 130 *aptabat sensim pulsanti carbasa uento,*  
 131 *cum lenire metus properans aegramque leuare*  
 132 *attonitis mentem curis sic Hannibal orsus:*  
 133 *„Ominibus parce et lacrimis, fidissima coniunx.*  
 134 *et pace et bello cunctis stat terminus aevi,*  
 135 *extremumque diem primus tulit. ire per ora*  
 136 *nomen in aeternum paucis mens ignea donat,*  
 137 *quos pater aetheriis caelestum destinat oris.*  
 138 *an Romana iuga et famulas Carthaginis arces*  
 139 *perpetiar? stimulant manes noctisque per umbras*  
 140 *increpitans genitor, stant arae atque horrida sacra*  
 141 *ante oculos, breuitasque uetat mutabilis horae*  
 142 *prolatare diem. sedeamne, ut nouerit una*  
 143 *me tantum Carthago, et, qui sim, nesciat omnis*  
 144 *gens hominum, letique metu decora alta relinquam?*  
 145 *quantum etenim distant a morte silentia uitae?*  
 146 *nec tamen incautos laudum exhorresce furores.*  
 147 *et nobis est lucis honos, gaudetque senecta*  
 148 *gloria, cum longo titulis celebratur in aeuo.*  
 149 *te quoque magna manent suscepti praemia belli.*  
 150 *dent modo se superi, Thybris tibi seruiet omnis*  
 151 *Iliacaeque nurus et diues Dardanus auri.“*  
 152 *dumque ea permixtis inter se fletibus orant,*  
 153 *confisus pelago celsa de puppe magister*  
 154 *cunctantem ciet. abripitur diuulsa marito.*  
 155 *haerent intenti uultus et litora seruant,*  
 156 *donec iter liquidum uolucris rapiente carina*  
 157 *consumpsit uisus pontus tellusque recessit.*  
 158 *At Poenus belli curis auertere amorem*  
 159 *apparat et repetit properato moenia gressu.*  
 160 *quae dum perlustrat crebroque obit omnia uisu,*  
 161 *tandem sollicito cessit uis dura labori,*  
 162 *belligeramque datur somno componere mentem.*

II. Aufgaben

1. Erklären Sie die folgenden Umschreibungen und identifizieren Sie die gemeinten Personen: *genitor* (V. 140), *Iliacae nurus* (V. 151) und *Poenus* (V. 158)!
2. Erläutern Sie den spezifischen Tempus- und Modusgebrauch von *perpetiar* (V. 139) und *dent* (V. 150)!
3. Bestimmen Sie Autor, Epoche und literarische Gattung des Übersetzungstextes! Begründen Sie Ihre Zuordnung mit sprachlich-stilistischen Gesichtspunkten!